Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800

Quelle:
Copyright:

tragicoque ejus fine praeter Scriptores in *Lexico Joecher.* et *Univ.* excitatos *Dan. Farlatus Illyrici ſacri T. III. Venet.* 1765. p. 481. f. et *Alex. Horanius* in *Mem. Hungar. et Provinc. P. I. Vien.* 1775. p. 527. 8. qui gnaviter Jeſuitam fuiſſe repetit, nihil tamen de ejus ab hoc Sodalitio diſceſſu memorat. *Joſephi Halli Exonienſis* poſtea, tum *Nordovicenſis* Epiſcopi Epiſtolam, quae noſtram provocavit, impreſſam habes inter *Clar. Viror. Epiſtolas* a *P. Colomeſio* lectas et ad calcem *Epiſtolar. II. S. Clementis* editas *Lond.* 1687. p. 321. 8. Fugerit-ne *Colomeſium* Reſponſum noſtrum, an in ſcrinio premendum cenſuerit, incertum. Lucem ſane non minus merebatur, quam alterum *M. Antonii* Scriptum, quo *ſui reditus ex Anglia Conſilium exponit*, quod typis cum *Romanis*, tum *Moguntinis* 1623. 4. proſtat, inſigne magis doctrinae dubites, an inconſtantiae argumentum. Ita vero ingreditur: *Oratio tua paraenetica, Vir clariſſime, ſeu potius increpatoria ad me nuper* (1622. 20. Febr. ſtilo vet.) *ſcripta, ſi dictionem ſpectem, diſerta quidem, et leporum plena; ſi dicentis animum, pia; ſi zelum ſcribentis, fervens, imo tota ardor, tota flamma, voluptati mihi fuit; neque poſſum bis eam nominibus non acceptiſſimam habere, et plurimum commendare, tibique gratias agere: Si tamen res ipſas in ea a te tam facunde, tam pie, tam ardenter conſideratas inſpicio (liceat mihi quaeſo pari animi candore, pari calami libertate tecum agere) eloquentiam video in argumento inutili impenſam, pietatem, ubi ei locus non erat, exercitam, ardorem absque ulla aut occaſione, aut opportunitate incenſum: zelum vero et æmulationem Dei, ſed non ſecundum ſcientiam debita cum diſcretione non fuiſſe moderatam.* Atque hinc differere incipit: Adventum in *Angliam* non *finem*, ſed *medium* ſibi ſemper fuiſſe ad exequendum quadruplex conſilium: 1) ut plene cauſas diſſenſionum et ſchiſmatum cognoſceret, 2) ut ſcriptioni liberae liberum haberet locum, 3) ut unionis et concordiæ rationes obſervaret, 4) ut Regis (*Jacobi* I.) ſapientia aliquamdiu perfrueretur, eique, ſi vellet, inſerviret. Finem primum et alterum a ſe obtentum fuiſſe, in tertio a *Puritanis* ſe penitus impeditum, nec quartum, niſi ex parte, adſecutum. Haec multis, et ad res Hominis cognoſcendas peropportune. Inſerit poſt illa Epiſtolam *italicam* a ſe ad *Hiſpanum* in Aula *Brit.* Legatum *Did. de Gondomar* 9. *Febr.* ſtilo novo 1622. datam, qua favores ejus pro ſuo *Romam* reditu expetit, *Cautelas* 4. quas circa Catholicos in *Anglia* mitius habendos ſuadet, idque e *Capitibus* 6. ad quae examinanda *Hallum* et *Puritanos* provocat, et duplicem *Juramenti Fidelitatis* in *Anglia Formulam*, quarum poſterior *ſub verbis moderatioribus.* Deinde omnia inter ſe Regemque jam anno praecedente in cauſſa Religionis acta, ſcriptaque cum *Hallo* communicat, *Epiſtolam* hujus ſupra memoratam integram